

ne deterius tibi aliquid contingat (Joan. v, 14). Sed et prava sibi suggerentes non obaudiat, dicente Apostolo : *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte (Rom. 1, 32).* Episcopo etiam nuper ordinato agere talia vel talibus consentire non præcipiat, unde se ipsum perdat, et coram Deo ecclesiasticam gratiam amittat. Cum coram omnibus et electoribus et ordinatoribus suis districtissime professus ante ordinationem suam fuerit, et propria manu subscripserit sacras regulas sanctorum conciliorum, quantum scierit et potuerit, servaturum. Qui sacri canones spiritu Dei conditi, et totius mundi

reverentia consecrati ita decernunt : Si quis contra suam professionem vel suam scripturam venerit in aliquo, ipse se honore privabit. Qui autem res et facultates ecclesiasticas Belvacensis Ecclesiæ ipsius consensu vel favore pessumdare præsumpserint, qui auctoritatem eas illis dare vel consentire non habuit, sollicitissime caveant, ac suprascriptas sacrorum canonum sententias, ab omnibus nobis episcopis, ad quorum notitiam ipsorum sacrilega pervenerint intentatas, suscipiat, et ab omni Christianorum societate modis omnibus separentur.

XV.

DE PRESBYTERIS CRIMINOSIS,

de quibus approbatio non est.

(Apud eundem, ex editione Moguntina Joannis Busæi).

CAP. I. Quid de presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit, in libro primo Capitulum domni Caroli imperatoris augusti capite trigesimo quarto scriptum est (lib. v Capitulum. c. 33) : Hoc nobis magno cum studio retractandum est, quid de illis presbyteris criminosis, unde approbatio non est, et semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissime a nobis ac prædecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus diffinitum. Unde ad consulendum Patrem nostrum Leonem papam sacerdotes nostros misimus, et quidquid ab eo vel a suis perceperimus, vobis una cum illis quos misimus renuntiare non tardabimus. Vos interim vicissim tractate attentius, quid ex his vobiscum constituamus, una cum prædicti sancti Patris institutionibus, ut murmur cesset populi, et nos his faventes illæsi, Domino auxiliante, ab utrisque maneamus. Sequitur confirmatio memorata de sacerdotum purgatione, capite in eodem libro trigesimo quinto.

CAP. II. (Capitulum. lib. v, c. 34.) Omnibus vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sæpissime suadente antiquo hoste sacerdotibus crimina diversa objiciuntur. Sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio et satisfactio fiat, licet de rationabili examinatione et satisfactione presbyterorum, tempore bonæ memoriæ domni genitoris mei Pippini, sive priscis temporibus a sanctis Patribus et a reliquis bonæ devotionis hominibus sæpissime ventilatum fuerit, nos tamen pleniter et ad liquidum diffinitum reperire minime quivimus. Nostris quippe temporibus id ipsum a sanctis episcopis, et reliquis sacerdotibus, et cæteris ecclesiasticæ dignitatis ministris, nostris in regnis, seu in aliis degentibus, nobisque una cum eis agentibus sæpissime, propter multas et nimias reclamaciones, quæ ex hoc ad nos ex diversis partibus venerunt, ventilatum est. Sed qualiter consultu domni et Patris

nostri Leonis apostolici, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ episcoporum, et reliquorum sacerdotum, sive Orientalium et Græcorum patriarcharum, et multorum sanctorum episcoporum, et sacerdotum, necnon et nostrorum episcoporum omnium, cæterorumque sacerdotum ac Levitarum auctoritate et consensu, atque reliquorum fidelium et cunctorum consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est, vobis omnibus ordinis utriusque ministris scire volumus. Statutum est namque, ratione et necessitate ac auctoritate prædicta, consultu omnium, ut quotiescunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, ut recipi debeat (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant in canonibus pleniter expressum est), si autem, ut dictum est, ille aecusator, qui canonicè recipiendus est, eum cum legitimo numero verorum et bonorum testium approbare in conspectu episcoporum poterit, tunc canonicè dijudicetur, et si culpabilis inventus fuerit, canonicè damnetur. Si vero cum supra scripto prætextu approbare ipse accusator minime poterit, et hoc canonicè diffiniatur.

CAP. III. (Ibid.) Ipse ergo sacerdos, si suspiciosus aut incredibilis suo episcopo, ac reliquis suis consacerdotibus, sive bonis et justis de suo populo vel sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus exemplo Leonis papæ, qui duodecim episcopos in sua purgatione habuit, vel eo amplius, si suo episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi id esse perspexerit, cum aliis bonis et justis hominibus, se sacramento corum populo super quatuor Evangelia dato, purgatum ecclesiæ suæ reddat episcopus.

CAP. IV. (Ibid.) Si quis autem scire desiderat, quales accusatores ac testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, et quid de accusatore facien-

dum sit, pleniter in canonibus et legibus, quibus una cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia, reperire poterit. Videlicet, quos publicæ leges ad accusationem vel ad testificationem admittunt, tales admittantur, et quales publicæ leges non admittunt non recipiantur, id est, infamiae maculis aspersi non admittuntur ad accusationem; sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, id causis propriis accusandi licentia non est deneganda: et suspecti gratiæ testes, et illi vel maxime, quos accusator de sua domo produxerit, vel vitæ humilitas infamaverit, vel infra annos quatuordecim ætatis suæ, non admittantur.

CAP. V. Qui testes, ut lex Theodosii præcipit, priusquam de causa interrogentur, sacramento debent constringi, ut jurent se nihil falsi esse dicturos, et honestioribus magis quam vilioribus testibus fides debet admitti. Unius autem testimonium, quamlibet splendida et idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum. Et lex Valentiniani et Theodosii præcipit (l. 15 *Cod. Theod., de Accusat.*) ut in criminalibus causis, vel objectionibus, per mandatum nullus accuset, nec si per rescriptum principis hoc potuerit impetrare: sed ipse, qui crimen intendit, præsens per se accuset in scriptione præmissa. Judices autem puniendi sunt, et damnandum officium, si forte tacuerint, si innocentem, nisi præmissa inscriptione, subdendum crediderint quæstioni. Si autem clerici in ecclesiasticis causis testimonium apud ecclesiasticos dixerint, per compromissi vinculum episcopale iudicium non adendum, lege Majoriani abrogatum est.

CAP. VI. Et quia secundum sacras leges sententia sine scripto dicta, nec nomen sententiæ habere merebitur; et juxta legem Valentiniani et Valentis (*Cod. eod. l. 11, Inter.*), « nisi inscriptione celebrata, reum quemquam non fieri, nec ad iudicium exhiberi, quia sicut convictum pœna constringit, ita et accusatorem, si non probaverit quod objecit; » et legibus constitutum est, ut scriptura prolator affirmet, cujus si non astruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse retinendum; et criminis, quod probare nequiverunt, delatores ut perjuri ac falsitatis rei damnandi sunt, sicut lex Honorii et Theodosii decrevit (l. 41 *cod. Theod., de episc., etc.*): Clericos, inquit, non nisi apud episcopos accusari convenit. Igitur si episcopus, presbyter, diaconus, et quicumque inferioris loci Christianæ legis minister apud episcopos, siquidem alibi non oportet, a qualibet persona fuerint accusati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripit, noverit docenda probationibus, monstranda documentis, se debere inferre.

CAP. VII. Si quis ergo contra hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturæ famæ propriæ subjacere, ut damno pudoris, existimationisque dispendio, discat sibi alienæ verecundiæ impune insidiari, saltem de cætero non licere. Nam sicut episcopos, presbyteros, diaconos, cæterosque, si his objecta comprobari

potuerint, maculatos ab Ecclesia æquum est removeri, ut contempti posthac, et miseræ humilitatis inclinati despectu, injuriarum non habeat actionem; ita similis videri debet justitiæ, quod appetitiæ innocentiae moderatam deferri jussimus ultionem. Ideoque hujusmodi duntaxat causas episcopi sub testificatione multorum acta audire debebunt. Et sacri Carthaginenses canones inter accusatores clericorum, et accusatos clericos ordinem, qualiter excommunicationis damnatio, vel examinationis purgatio agi debeat, manifeste diffiniunt, scilicet « ut presbyter, vel inferioris gradus clericus accusatus apud proprium episcopum, et accusator in eo loco, videlicet in eadem parochia, unde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, ubi causa finiatur. Et hinc leges dicunt (*cod. eod., l. 10*): Criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est. Nam alibi criminum reus prohibetur audiri. » Ille vero qui pulsatus fuerit, si iudicem, id est episcopum suum, suspectum habuerit, licet appellare, scilicet ad finitimos episcopos ipsius provinciæ. ut Sardinenses et Carthaginenses canones decreverunt, vel ad metropolitanum episcopum juxta Antiochenum concilium, sive ad provincialia concilia, sicut sacri Nicæni et Antiocheni canones constituerunt, et sicut Africanum concilium in epistola ad Cælestinum papam ostendit, vel a decreto episcoporum numero secundum Carthaginense concilium, vel a iudicibus, sive quos juxta Africanos canones primas ille dederit, sive quos ipse cum episcopi sui consensu delegerit, a quibus provocari non licet, regulariter iudicetur.

CAP. VIII. Constat igitur, si juxta concilium Antiochenum, ab universali magna synodo Chalcedoniensi favorabiliter in actione duodecima receptum et collaudatum, perfectum concilium illud est, ubi interfuerit metropolitanus antistes, nullo magis perfectum et tenendum atque sequendum est præcedens capitulum de presbyterorum comprobatione vel purgatione, consultu sedis apostolicæ, et tantorum episcoporum, ac cæterorum ecclesiasticorum ministrorum, Deique fidelium consensu firmatum, sicuti voce magni et orthodoxi imperatoris legitur attestatum, et per tanta tempora sequentium episcoporum usu et consuetudine roboratum. Hanc auctoritatem in depositione criminorum presbyterorum, vel purgatione erimatorum, more consuetudinario secuta est generaliter Cisalpina Ecclesia catholica jam per septuaginta et eo amplius annos.

CAP. IX. Et de consuetudine sanctus Augustinus, a sede apostolica, sancto Cælestino scribente, inter optimos Ecclesiæ computatus magistros, in libro quarto de Baptismo dicit (*cap. 5*): « Plane verum est, quia ratio et veritas consuetudini præponenda est, sed cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmiter retineri. » Ostendendum est igitur, si ratio et veritas atque auctoritas huic consuetudini suffragatur. Scriptum est in mystica Nicæno synodo (*can. 3*): « Interdixit per omnia magna synodus, non

episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantummodo personas, quæ suspensiones effugiunt.» Hinc Valens, Gratianus, et Valentinianus Augusti et Christiani imperatores decreverunt legem (l. 44, *Cod. Theod. de episc.*, etc.), cujus interpretatio talis est: Quicumque clericatus utuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur: matrum, sororum, vel filiarum sibi solatia infra domum suam noverint tantum esse concessa.

CAP. X. Sed quia sub occasione istarum personarum, aliæ mulieres subintroduci cœperunt, sancti Africani canones decreverunt (*can. 5*), ut nec ipsi episcopi, aut presbyteri, soli habeant accessum ad viduas, vel virgines, vel ad quascunque feminas, sed ubi aut clerici præsentes sunt, aut graves aliqui Christiani. Unde sicut beatus Gregorius ad ministros Ecclesiæ Romanæ scripsit (*lib. vii, epist. 39*), beatus Augustinus nec cum sorore habitare consensit dicens: « Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. » Et ex hoc dicit sanctus Gregorius: Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. Nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere. Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis. Et ex hoc in lege Justiniani decretum est, cap. 475, ut si quis mulierem in sua domo habuerit, quæ potest suspicionem inferre turpitudinis, et ille a clericis suis audierit, quod cum tali muliere non debeat habitare, si noluerit eam sua domo repellere, vel accusatore immergente probatus fuerit inhoneste cum tali muliere versari, tunc episcopus secundum ecclesiasticos canones a clero eum repellat.

CAP. XI. Et in synodis Romanis Eugenii et Leonis quarti decretum est: « Si quispiam sacerdotum, id est episcopus, presbyter, vel etiam subdiaconus, de quacunque femina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundamque et tertiam admonitionem metropolitani, vel alterius episcopi, aut ejus cui subjacere videtur, inveniatur famulari cum ea, vel aliquo modo conversari, canonice judicetur. Quapropter unusquisque episcopus in tali re studiose ac diligenter curam habere debet, ne Ecclesia Christi a propriis possit sordidari ministris, quia cum propriam uxorem habere non permittitur, maxime ab omni femina sit abstinendus.» Proinde de concubitu presbyterorum cum feminis, per parochianos vel vicinos cujuscunque presbyteri inquirere non nobis est laborandum. Abolita enim est vetus hæresis, quæ cynica, id est canina, propter impudentiam fuerat appellata, dicens concubitum esse naturalem, et ob id agendum sine verecundia publice: cum legamus primos homines mox post peccatum inobedientiæ sensiisse concupiscentiam in membris genitalibus, et a mutuis censpectibus ea contexisse. Nam licet humanæ mentis cæcitas, in operatione turpitudinis,

A divinis et angelicis, atque sanctorum qui in cælis sunt, oculis abscondi non possit, tamen etiam quilibet rusticanus, concumbens etiam cum propria conjugē, prout potest, plurimorum devitat aspectus. Quanto magis presbyter, si sensum hominis habet, malum agens curabit abscondere, propter quod patefactum, scit se non solum ecclesiasticum gradum amittere, sed et sua quæ habet ex facultatibus Ecclesiæ perdere. Non igitur de hoc verecunde quæremus, quod et Apostolus non nudo sed velato nomine loquens apud legitime conjugatos, studuit appellare dicens: *Et ne quis circumveniat in negotio fratrem suum (1 Thess. iv, 6)*. Tantummodo autem de accessu et frequentatione ac cohabitatione presbyterorum contra canonicum interdictum cum feminis, si inde fuerint accusati, est inquirendum. Quia, ut sanctus Ambrosius dicit (*epist. 11*): « Judicis non est sine accusatore damnare, quia et Dominus Judam cum fur esset, quoniam non est accusatus, minime abjecit. »

B
CAP. XII. Qualis ergo debeat esse ordo in accusatione et dijudicatione, sanctus Augustinus exponens sententiam Apostoli: *Si quis frater nominatur fornicator, etc.*, ostendit (*de Pœnit. medic. cap. 3*): « Noluit, inquit Apostolus, hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei, sive secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum, eam nominationem volens intelligi, quæ fit in quemquam, cum sententia ordine judiciario, et cum integritate profertur. Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quemquam crimen nominatur. » Qualiter autem sententia ordine judiciario et cum integritate proferenda sit, sacri canones, ut supra dictum est, et sanctus Gregorius, qui frequenter in epistolis suis causas ministrorum ecclesiasticorum legaliter et regulariter præcipit diffiniri, in commonitorio Joanni Defensori eunti in Hispanias dato demonstrat dicens (*lib. xi, epist. 50*): « Diligenter quærendum est, primum, si iudicium ordinabiliter est habitum, aut si alii accusatores, alii testes fuerunt. Deinde causarum qualitas, si digna exilio vel depositione fuit, aut si eo præsentē sub jurejurando contra eum testimonium dictum est, si scriptis actum est, vel ipse accusatus licentiam respondendi et defendendi se habuit. Sed et de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est, cujus vitæ, cujus conditionis cujusque opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra prædictum episcopum inimicitias habuissent, et utrum testimonium ex auditu dixerunt, aut certe se scire specialiter testati sunt, si scriptis iudicatum est, et partibus præsentibus sententia recitata est. » Sic et leges diffiniunt, ut nemo per alium quemquam accusare, vel quis accusari possit, nisi forte ingratum libertum patronus accuset: et ut in causa capitali absens nemo damnetur, nisi delegata secundum canones cognitione adesse provocatus ne-

glexcrit, ut dilationem sententiæ de absentia non A
lucretur.

CAP. XIII. A quibus accusatio vel testimonium
debeat recipi, sancti Africani canones patentes osten-
dunt, id est, quos publicæ leges ad accusationem,
vel ad testimonium recipiunt, sicut plenius ac latius
ex eodem concilio, et ex legibus, non longe supra
ostendimus de sæcularibus hominibus. De sacris au-
tem ordinibus sanctus Gelasius in decretis suis di-
cit: « Ne clericorum quisquam se hujus offensæ futu-
rum confidat immunem, se in his quæ salubriter se-
quenda deprompsimus, sive episcopum, sive presby-
terum, sive diaconum viderit excedentem, non protin-
us ad aures nostras deferre curaverit, probationibus
duntaxat competenter exhibitis, ut transgressoris
ultio fiat, et cæteris interdictio delinquendi. » Et
sacri Africæ provinciæ canones, et lex Justiniana
decernunt: Clerici de iudicii sui cognitione non
cogantur in publico dicere testimonium, non autem
in ecclesiastico iudicio dicere testimonium prohi-
bentur. Sicut etiam de episcopis in Chalcedonensi
concilio legimus. Unde in synodis Romanis ab Eu-
genio et Leone quarto celebratis decretum est:
Quamquam sacerdotum testimonium credibile ha-
beatur, tamen ipsi in sæcularibus negotiis pro testi-
monio, aut conficiendis instrumentis, non rogentur,
quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem
eventu aliquo causæ interfuerint, et aliquid viderint
aut audierint, ubi nullæ ad illud idoneæ sæcularium
inveniantur personæ, ne veritas occultetur, et malus
ut bonus existimetur, in providentia proprii sit
episcopi, ut aut coram se et competentibus iudici-
bus, aut aliter veritatem honorifice testificentur. Et
huic sententiæ Justiniana lex consonat.

CAP. XIV. De numero testium in lege statutum
est, quod et in Evangelio est confirmatum, ut in
ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Et
Apostolus Timotheo præcipit, in cuius persona, ut
beatus Leo dicit, omnium Christi sacerdotum nume-
rus eruditur, ut accusatio adversus presbyterum
non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus
(I Tim. v, 19). Et sacrum Nicænum concilium (can.
11), neophytum episcopum, a duobus vel tribus
testibus redargutum, a clero abstinere præcipit. Sed
quia in historia Susannæ duos testes, qui idonei
populis videbantur, et in historia Nabuthæ, sed et
in historia passionis Domini duos testes dixisse
falsum testimonium legimus, majores nostri, præter
accusatores in accusatione presbyterorum, de nu-
mero testium idoneorum auctoritatem legum se-
quendam voluerunt, ut septem testes idonei requi-
rantur, et si ratio vel causa coegerit, quatuordecim
vel viginti et unus testes quærantur, ut veritas pa-
tefacta monstretur. Qui testes ad exemplum Danie-
lis, sicut et leges præcipiunt, examinandi sunt, quo-
niam ipsa prophetæ examinatio jam quibusdam nota
est, et sæpe inventi sunt pretio conducti et conspirati
ad dicendum mendacium, et sæpe quidam invidia
vel odio ad presbyterum accusandum emergunt, et

testes mendaces producunt, quia, ut sanctus Augu-
stinus dicit, nova morborum genera nova quærere
cogunt medicorum experimenta.

CAP. XV. A majoribus nostris accepimus ut
exceptis accusatoribus, septem sint testes idonei,
qui testimonium suum per sacramentum verum esse
confirmant, ex quibus sex jurent, et septimus, si
ratio vel qualitas personæ permittit, ad iudicium
exeat quod illi sex inde veritatem per sacramentum
dixerint. Et sic de comprobato presbytero Apostoli
sequatur sententia: *Si quis non obedit verbo nostro,
sive per epistolam, sive per verbum, hunc notate, et
nolite commisceri cum eo (II Thess. III, 14)*, et reliqua.
Et sanctus Leo papa in decretis suis ad universos
episcopos per universas provincias constitutos dicit
(*epist. 1*): « Hoc admonitio nostra denuntiat, quod
si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel
venire tentaverit, et prohibita fuerit ausus admittere,
a suo se noverit officio submovendum, nec eum
communione nostræ futurum esse consortem, qui
socius esse noluit disciplinæ, » et reliqua. Sed et
beatus Augustinus suo archiepiscopo Xantippo de
Aburdantio presbytero suæ parochiæ ita scripsit
ad locum (*epist. 236, Xant.*): « Quia cum non ambu-
laret vias servorum Dei, non bonam famam habere
cæperat: qua ego conterritus, non tamen tenere
aliquid credens, sed plane sollicitior factus, operam
dedi, si quo modo possem ad aliqua malæ conversa-
tionis ejus certa incidia pervenire. Ac primo com-
peri eum pecuniam cujusdam rustici divino apud
se commendato intervertisse, ita ut nullam inde
posset probabilem reddere rationem. Deinde con-
victus atque confessus est, cum secum nullum cleri-
cum haberet, se apud quamdam malæ famæ mulie-
rem, et prandisse, et cœnasse, et in una et eadem
domo mansisse: nam quæ negavit, Deo dimisi; quæ
occultare permissus non est, iudicavi. » Hoc modo
veritate comperta, de cohabitatione interdicta cum
mulieribus convictus presbyter, legaliter et regulari-
ter sacerdotali in istis Gallicis regionibus privatur
officio, sicut Zosimus papa decrevit dicens (*epist. 1,
ad Hexich.*): « Sciat quisquis hoc, postposita Patrum
et apostolicæ sedis auctoritate, neglexerit, a nobis
districtius vindicandum, ut loci sui minime dubitet
sibi non constare rationem, si hoc putat post tot
prohibitiones impune posse tentari. Contumeliæ
enim studio sit, quidquid interdictum toties usur-
patur. »

CAP. XVI. Si autem mala fama ex veri similitu-
dine per parochias nostras de presbytero exit, et
accusatores atque testes legales non esse deprehen-
duntur, vel rei falsitatis convincuntur, legaliter ac
regulariter eis multatis, ne infirmorum corda de
mala fama presbyteri percutiantur, et ne vitupere-
tur ministerium nostrum, neque securiores presby-
teri existentes licentius in peccatum labantur, se-
cundum decretum Gregorii junioris (*epist. 11, ad
Bonifac.*), est iusjurandum in medio, ut habeat malæ
famæ presbyter in sacramento purgationis suæ eum

testem, quem habebit et judicem. Et quoniam frequenti experimento probatum est, presbyterum a diabalo in fornicationem vel adulterium persuasum, proclivem ad perjurium, et legalis atque evangelica seu apostolica atque canonica auctoritas trium testium testimonium recipit ad condemnationem (*Mat. xviii*), non ab re visum est patribus nostris, si recipiatur ad purgationem. In historia quoque sacra, et in epistola beati Gregorii ad Theoctistam patriciam legimus (*lib. ix, epist. 39*), beatum Petrum apostolorum primum, cum a fidelibus reprehensus fuit cur ad gentiles intrasset, humili eos ratione placasse, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuisse dicens: *Venerunt autem mecum et sex fratres isti (Act. xi, 12)*. Et Carthaginenses canones decernunt (*can. 10*), ut si presbyteri, vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum, id est una secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, auctoritati convenire majores nostri duxerunt, sicut supra ostendimus, in capitulo, tempore domni Caroli imperatoris Augusti, apostolicæ sedis et episcoporum auctoritate decreto, ut si presbyter infamatus fuerit, et accusatores vel testes idonei defuerint, secundum qualitatem vel quantitatem causæ atque personæ, et utilitatem ac sanationem cordium infirmorum, aut cum aliis duobus testibus, ac cum aliis sex testibus, se ipsum sacramento a mala opinione purget.

CAP. XVII. Et non est contrarium decreto Gregorii junioris, si plures testes ad purgationem infamati presbyteri requiruntur, quia scribens idem pontifex ad Bonifacium Moguntinum episcopum per Deualdum presbyterum dicit *epist. ix, cap. 5*): « Ut si probari idoneis testibus presbyter infamatus nequiverit, sit jusjurandum in medio, et non diffinivit, utrum ipse solus, an cum aliis juret. Si enim beatissimus Petrus apostolorum primus famam suam quasi contra præceptum fecerit Domini dicentis: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis (Matth. x)*, quoniam nondum a Deo per multos propalata erat præceptio Christi jubentis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos (Matth. xxviii)*, cum sex testibus expurgavit (*Act. xi*), non videtur esse contra auctoritatem, si presbyter cum tot testibus collegis suis suam opinionem studet purgare, ad quod iudicibus episcopis jubetur per sacros canones judicari, præcipiente Apostolo, ut *sine offensione omnibus simus, et ne pereat in nostra conscientiam frater, propter quem Christus mortuus est (I Cor. x)*. Et item: *Sic enim peccantes in fratres, et percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis (I Cor. viii)*. Et ideo repleti Spiritu sancto statuerunt sancti patres nostri, ut ministri altaris mulieribus non cohabitent, neque subintroducant secum mulieres, nec vel concupiscentia conscientiam suam urant, vel consensu pessimo polluant et ne vel mala suspicione infirmorum conscientias maculent. Quoniam Augustino docente sanctorum,

A quibus Dominus dicit: *Sancti estote (Lev. xi)*, conversatio non solum suncta debet esse, sed et cauta: ne forte cum mala non sit per lasciviam, sit mala per negligentiam. »

CAP. XVIII. De interdicto canonico adversus presbyterum, et interrogandi sunt testes, et convictus vel confessus, judicandus est presbyter. Et quoniam experti sumus, quosdam presbyteros ad invicem conspirasse, ut se mutuo in sua purgatione adjuvent, revera quidem noceant, non incongrue visum est decessoribus ac prædecessoribus nostris, ut cum in credibili misso episcopi, presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis una cum eo ad jusjurandum se obtulerunt, talem examinationem per vicarium infamati presbyteri recipiant, ut in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc jam de perjurio revictos et degradatos comperimus, vel ut decernunt canones. Episcopus, inquit, aut presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communionem privetur. Dicit enim Scriptura: *Non vindicabit Dominus bis in idipsum (Nahum. i)*. Hæc de testibus, vel ad probationem vel ad purgationem presbyteri majores nostri secundum tramitem Scripturarum prædicationemque majorum tenenda viderunt, et sequenda nobis suis posteris reliquerunt, secundum verba beati Gelasii (*epist. 11, ad episc. Dardan.*): « Quidquid, inquit, pro fide, pro veritate, pro communionem catholica atque apostolica secundum Scripturarum tramitem prædicationemque majorum patres nostri, catholici videlicet doctique pontifices, facta semel congregatione sanxerunt, incon vulsum voluerunt deinceps firmumque constare, nec in eadem hac causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt: sapientissime providentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidivis omnis integra diffinitio turbaretur. »

CAP. XIX. Quod quidam dicunt, quia parochiani et subjecti presbytero vel episcopo, eum non valeant regulariter accusare, ut scriptum est: *Umbra aliorum umbram suam protegunt (Job. xl)*, ne ad eos valeat pervenire, quod in alios conantur defendere. Quorum defensio cassatur auctoritate et ratione. Auctoritate quidem, qua dicitur voce sancti viri: *Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent. Si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixit, pro frumento oritur mihi tribulus, et pro hordeo spina (Job. xxxi)*. « Terra, inquit, sanctus Gregorius (*lib. xxii Moral., c. 33*), contra possessorem suum clamat, si contra eum qui sibi præest, aliquid injustum, vel privata domus, vel sancta Ecclesia murmurat. Clamare quippe terram est, contra regentis injustitiam rationabiliter subjectos dolere. » Omnis ergo qui præest, si perversa in subditis exercet, contra hunc terra clamat, et sulci deflent, quia contra ejus injus-

stilitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, sed perfecti quippe pro pravo ejus opere se in fletibus affligunt. Cum clamante ergo terra sulcos plangere est, per hoc unde multitudo fidelium juste contra rectorem queritur, uberioris vitæ homines ad lamenta pervenire, et reliqua, quæ lector in suo loco plenius prævalet invenire. Et longe ante, sanctus Bonifacius ad episcopos per Gallias et septem provincias constitutos (*epist. 11 ad episc. Gall., etc.*), de Maximo a suis comprovincialibus et subditis accusato, et sanctus Gregorius de Bonifacio Regitanæ Ecclesiæ a suis clericis et subditis æque accusato, ad Sabinum et plures episcopos, pro causa diligenter inquirenda epistolas misit, et de Lucili episcopi accusatione inquisitionem regulariter facere præcepit, velut in ejus Regesto lector inveniet (*lib. VII, ind. 2, epist. 46 et 62*). Et si de episcopis ita admissa sunt, de presbyterio, videlicet secundi ordinis viris non dimittenda sunt.

CAP. XX. Verum quia non solum in doctorum sæcularium litterarum dogmatibus, sed et in sanctis Scripturis a contrario quædam definienda invenimus, sicut ex luce obscuriores tenebræ judicantur, ex sententia divina conferenda est causa ecclesiastica. Ait enim Dominus discipulis: *Vos mihi testimonium perhibebitis, qui ab initio mecum estis* (*Joan. xv*), quoniam absque ulla ambiguitate prædicare valebant, quæ apud illum viderunt et audierunt. Unde bene Petrus alium pro Juda ordinare volens apostolum, talem voluit eligere qui cum eis fuerit. ex quo intravit et exivit inter eos Dominus Jesus, et non alium (*Act. 1*). Sic econtra tales debent audiri accusatores ac testes de vita et conversatione presbyteri, qui ejus vitam et conversationem noverunt in omni tempore, ex quo intravit et exivit eum eis presbyter illis et præpositus ordinatus. Sufficiant ergo, ad refellendam vanam opinionem eorum, qui dicunt quoniam a suis ovibus vel subjectis prælatus regulariter accusari non valeat, hæc tanta et talia testimonia.

CAP. XXI. Cæterum quoniam quidam quasi in auctoritate proferunt sanctum Silvestrum papam decrevisse talia, quæ catholica Ecclesia inter synodalia decreta non computat, quæ majores nostri inde nobis tenenda suis posteris reliquerunt, hic necessarium ponere duximus. Scriptum namque est in quodam sermone, sine exceptoris nomine de gestis sancti Silvestri excepto, quem Isidorus episcopus Hispalensis collegit cum epistolis Romanæ sedis pontificum a sancto Clemente usque ad beatum Gregorium, eumdem sanctum Silvestrum decrevisse, « ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, et ut presbyter non adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolytus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolytum, nec lector adversus exorcistam, non ostiarius adversus lectorem det accusationem aliquam, et non damnetur præsul nisi in septaginta duobus. Neque præsul summus a

quoquam judicetur, quomodo scriptum: *Nun est discipulus super magistrum* (*Matth. x*) Presbyter autem cardinalis nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus cardinarius constitutus urbis Romæ nisi in viginti sex non condemnabitur. Subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, nisi, sicut scriptum est, in septem testibus non condemnabitur. Testes autem et accusatores sine aliqua sint infamia, uxores ac filios habentes et omnino Christum prædicantes. Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat. »

CAP. XXII. Quæ dicta quam adversa sibi, et quam diversa a sanctis canonibus et sacris legibus sint, nemo est qui dubitet, qui et hæc dicta cum ratione attendit, et sacras regulas ac leges diligentius legit. Et primum quidem scriptum est, ut nullus laicus crimen clerico audeat inferre, deinde ut nullus clericus contra clericum testimonium accusationis ferat, et mox subsequitur, in quantis testibus presbyter, vel diaconus, seu subdiaconus, acolythus quoque et exorcista, lector et ostiarius valeant condemnari, et testes, et accusatores sine infamia, et uxores et filios habentes, et Christum prædicantes fiant. Quod quam absurdum sit, ut uxores et filios habentes potius ad testimonium recipi debeant, quam continentis et religiosi, ratio aperta demonstrat: et contra id quod subsequitur, et illud quod dicit, ut uxores et filios habentes, et Christum prædicantes fiant testes, sanctus Leo papa in epistola ad Maximum Antiochenum episcopum decrevit (*epist. 66*): « Illud, inquit, convenit dilectionem tuam præcavere, ut præter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi jus docendi et prædicandi audeat vindicare, sive sit ille monachus, sive sit laicus, qui allicujus scientiæ nomine gloriatur. Quia etsi optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii quæ recta et sana sunt sapiant, non tamen permittendum est, ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore et excellentiora membra suum officium impleant, et inferiora superioribus non resultent. » Dicit etiam, et testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat: quod, sicuti supra ostendimus, regulæ sacræ, et sedis apostolicæ definitio, et leges Christianorum principum imperii Romani eva-

CAP. XXIII. Sciendum quoque est, quia quidam præfatam constitutionem ex nomine sancti Silvestri papæ, in auctoritatem non judicandi quemquam clericorum, ad confirmandam suam sententiam assumunt, ex eo quod beatus Gelasius inter ea quæ recipienda sunt, Actus beati Silvestri in canone recipiendorum posuit, non advertentes, quid inde in eodem catalogo sanctus Gelasius scripserit. Ait enim inter alia: « Actus beati Silvestri apostolicæ sedis præsulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur, a multis in urbe Romæ catholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multæ imitantur

Ecclesiæ. Item scripturam de inventione crucis Dominicæ, et aliam scripturam de inventione capitis Joannis Baptistæ, novellæ quædam relationes sunt, ut nonnulli eas catholici legunt. Sed cum hæc ad catholicorum manus pervenerint, beati Pauli apostoli præcedat sententia: *Omnia probate, quod bonum est tenete* (1 Thess. v). » Quæ Acta legi beatus Gelasius permisit, sed auctoritatem, sicut sanctas Scripturas et sanctorum opuscula, teneri non jussit. In quibus Actibus Silvestri, de talibus constitutionibus nihil legimus. In libro vero qui titulatur Gestorum pontificum, legimus constituisse beatum Silvestrum, ut nullus laicus clerico crimen audeat inferre. Cætera autem, quæ subsequuntur, ut supra posuimus, in regesto ipsius constituisse eum non legimus. Quapropter credendum non est eumdem sanctum virum talia constituisse, quæ in memorato sermone continentur scripta. Et licet propter hæreticos et gentiles qui tunc persequebantur catholicos, forte talia direxit, tamen posteriorum sententia tenenda est, sicut sanctus Augustinus, a sede apostolica merito inter optimos magistros Ecclesiæ computatus, in libro secundo de Baptismo demonstrat (cap. 3): « Quis, inquit, nesciat sanctam Scripturam canonicam, tam Veteris quam Novi Testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit: episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, et per sermonem forte sapientiore cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcoporum graviorem auctoritatem, doctiorumque prudentiam, et per concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est: et ipsa concilia quæ per singulas regiones vel provincias fiunt plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantia, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana? »

CAP. XXIV. Alioquin, si nullus laicus adversus clericum, nullus clericus adversus laicum accusationem proferre valebit, secundum illa quæ in memorato sermone ex verbis sancti Silvestri sunt dicta, quomodo quis judicabitur ab Ecclesiæ sanctæ, vel a legum publicarum iudicibus, cum nemo vel ecclesiastico vel civili iudicio regulariter atque legaliter, nisi cum sententia ordine judiciario, et quæ cum integritate profertur, debeat judicari? Nam si presbyter approbari non poterit, nisi cum tot idoneis testibus, sicut ibidem scriptum est, nunquam probabitur. Sunt enim apud nos presbyteri, qui tot parochianos non habent, qui mansa teneant, et uxores ac filios

A habeant, quot testes idoneos ad comprobandum presbyterum sermo ille requirit. Frustra igitur sacri canones, et decreta sedis Romanæ pontificum, expressa iudicia de singulis gradibus pro evidentibus culpis promulgaverunt, et leges inaniter ad pravos coercendos vel puniendos decretæ sunt, si exsequendæ non sunt, præsertim cum sanctus Leo de sacris canonibus dicat (*epist. 88 Anast*): « Igitur secundum sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant. » In eo enim quod dicit, ut nulla negligentia a regulis præstitutis discedant, tradiderunt nobis magistri nostri intelligendum, ut segnes non sint episcopi ad exequenda statuta. In eo quod dicit, ut nulla præsumptione a præstitutis regulis discedant, intelligendum dixerunt, ut statuta supergrediendo nequaquam excedant. Unde idem beatus Leo aliis verbis Scripturæ sententiam protulit, quæ dicit: *Non declines ad dextram, neque ad sinistram* (Prov. iv).

CAP. XXV. De legibus autem, Valentinianus, et Theodosius, et Arcadius, decreverunt, dicentes (I. II, *cod. Theod., de Constitut.*): « Perpensas serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones non ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus. Interpretatio. Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. » Et S. Cælestinus parisiensis de sacris canonibus dicit (*epist. 3*): « Nulli, inquit, sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur? » Non igitur frustra ecclesiasticæ regulæ, vel sacræ leges inaniter sunt promulgatæ, sed regulari ac legali ordine sunt exsequendæ. Quoniam sicut sanctus Augustinus et cæteri doctores catholici ex Evangelica auctoritate ostendunt, de apertis commissorum nobis erratibus, non solum potestatem, sed et præceptum iudicandi ut corrigantur, habemus, sicut sunt stupra, blasphemias, furta, adulteria, homicidia, ebrietates, rapinæ, et his similia, de quibus Dominus dicit: *A fractibus eorum cognoscetis eos* (Matth. vii); et Apostolus: *Manifesta autem sunt opera carnis* (Gal. v). De occultis vero fraternæ conscientia, et in dubiis maxime rebus et qua intentione vel necessitate geruntur, cum inspicere nequimus, temeritatem iudicandi cavere debemus. Sed et ambigua eorum gesta, et quæ in quamlibet partem interpretari possunt, divino potius examini reservare jubemur: sicut de genere ciborum, qui possunt bono animo, et simplici corde, sine vitio concupiscentiæ, quicumque humani cibi indifferenter sumi, ad quorum alimenta, sicut ad medicamenta est accedendum. Quapropter sequentes apostoli doctrinam Salvatoris nostri, de manifestis iudicaverunt peccantes, sicut Petrus Simonem, Ana-

niam et Saphiram, Paulus Elymam et fornicatorem A apud Corinthios (*Act. v; I Cor. v*).

CAP. XXVI. Quorum sequentes vestigia successores apostolorum, et judicia de manifestis peccatis promulgaverunt, et peccantes coram omnibus redarguerunt, atque judicarunt. Et qualiter, ac quo ordine pro patribus apostolis Ecclesiæ nati filii, episcopi videlicet, debeant in peccantes proferre judicia, sancti pontifices Leo et Gregorius, exponentes sententiam Domini dicentis ad apostolos, et per eos ad successores eorum (*Matth. XIII*): *Quæ ligaveritis super terram, erunt ligata in cælis; et: Quæ solveritis super terram, erunt soluta in cælis*, patenter ostendunt. « Beatissimo Petro, inquit Leo (*sermo 3 in Anniv. Assumpt.*) a Christo dicitur: *Tibi dabo claves regni cælorum et quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata et in cælis, et quæcunque solveris super terram erunt soluta et in cælis*. Transivit quidem etiam in alios apostolos vis istius potestatis, et ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commecavit, sed non frustra uni commendatur quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri privilegium, ubi eumque ex ipsius fertur æquitate judicium. Nec nimia est vel severitas, vel remissio, ubi nihil ligatum, nihil est solutum, nisi quod beatus Petrus, aut ligarit, aut solverit. » Et S. Gregorius (*hom. 26 in Evang.*): « Sæpe agitur, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex vitæ fiat alienæ, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat, cum suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit ut ipse hac ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subjectorum moribus exercet. Judicare enim digne de subditis nequeunt, qui in subjectorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Unde recte per prophetam dicitur: Mortificabant animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas, quæ non vivunt (*Ezech. XIII*). Non morientem quippe mortificat, qui justum damnat, et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. »

CAP. XXVII. Et in synodis Romanis apostolicorum Eugenii atque Leonis quarti ubi sacerdotem post condemnationem esse oporteat constitutum est, ut sacerdos, aut quisvis alius in ordinem ecclesiasticum proventus, si in eo scelere inveniat, quo abjiciendus existat, depositus providentia episcopi bene proviso loco constituatur, ubi peccata lugeat, et ulterius non committat. Et magnus Leo papa longe ante auctoritate Scripturæ sacræ ad Hilarium episcopum Narbonensem decrevit (*epist. 92 ad Rustic.*), « ut presbyteri vel diaconi lapsi ad promerendam misericordiam Dei privatam expetant secessionem, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. » Hæc a majoribus nostris de infamati presbyterii depositione, vel qualitatis purgatione ratione

et auctoritate ac consuetudine in istis Cisalpinis regionibus exsequenda et tradita nobis accepimus.

CAP. XXVIII. Si autem presbyter vel diaconus de certis causis accusatus, et legaliter atque canonicè ad iudicium provocatus, regulare iudicium subterfugerit, decretum est sacris legibus, quæ ex Evangelica auctoritate trina conventionè probant prima Ephesina synodus, et magnum Chalcedonense concilium, et sanctus Cælestinus in epistola ad Nestorium, et sanctus Gregorius in epistolis suis (*epist. 54*), ut trinis litteris, vel edictis quique conventus, si ad iudicem suum, a quo de certis causis regulariter accusatus conventus est venire noluerit, sententiam contumacis suscipiat. Hinc et sanctus Bonifacius papa ad Gallicanos episcopos decrevit (*epist. 1 ad Gallic. episc.*): « Ut conventus quisque si adesse voluerit præsens, si confidit, ad objecta respondeat, si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri cum de crimine, qui indulto et toties delegato iudicio, purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest, utrum in præsentem examine omnia, quæ dicta sunt, de eo comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constet absentia. » Qui, ut sanctus Gelasius dicit, ideo vocatur ad iudicium certa quæcunque persona, ut aut fateatur objecta, aut vincatur objectis. Et ab ea sententia, quæ adversus contumaces data est, neque appellari, neque in duplum revocari potest, sicut leges distinguunt, et sanctus Gregorius in epistolis suis ex eisdem legibus promulgavit.

CAP. XXIX. De cætero, si presbyteri vel diaconi pro causa pecuniario, quæ alio nomine in regulis sacris civilis causa vocatur, pro pervasione rei alicujus, seu pro quibuscumque gravibus injuriis, ad iudicium fuerint provocati, libet in criminalibus causis per alium nulli liceat respondere, episcopis tamen et presbyteris sacris legibus præstatum, ut in talibus causis misero procuratore, id est dato pro se advocato respondeant, sine dubio, ut ad eos redeat sententia iudicati. In reliquis vero criminalibus causis, ubi de scelere persona convincenda est, suam in iudicio præsentiam exhibere procurent. Quod si tertio conventi per executorem ad iudicium venire noluerint, ut præmissum est, sententiam accipiant contumacis.

CAP. XXX. De pervasione autem, quisquis ecclesiasticorum, relictis vel contemptis legibus, res alienas pervaserit, secundum beati Gregorii papæ decretum, ante corpus beati Petri prolatum, anathematis vinculo ligari præcipitur, sicut in eodem decreto, sed et in aliis suis epistolis, non tantum semel et secundo, sed ex tertio patenter ostendit, ut nemo ecclesiasticorum, si putat Ecclesiæ suæ res quaslibet debere competere, illegaliter eas pervadat, sed legaliter illas acquirat. Et in synodis Romanis apostolicorum Eugenii atque Leonis quarti, de pervasione quasi pro parte Ecclesiæ facta decretum est, ut si quispiam invasor comprobatus dicat pro parte Ec-

clesiæ se egisse, de privata sibi re pertinente ab ipso suoque hærede solvatur invasio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inventus a proprio canonice judicetur episcopo, ut non Ecclesia sibi commissa damnum sustineat, sed illæsa hujus persuasionis temeritate permanere sancimus. Et in eadem synodo decretum est, ut episcopi, universique sacerdotes habeant advocatos, quia episcopi, universique sacerdotes ad solam laudem Dei, bonorumque operum actionem constituuntur. Debet ergo unusquisque eorum, tam pro ecclesiasticis, quam etiam propriis suis actionibus excepto publico videlicet crimine, habere advocatum, non male suspectum, sed bonæ opinionis et laudabilis artis inventum, ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant. Et item ibi, de his qui advocatos invenire nequeunt. Si enim fuerit quispiam sacerdotum inventus, qui advocatum in judicium proferre non valeat, coram plebe propria suum episcopum eundem oportet discutere sacerdotem, si bonæ aut malæ conversationis existat, aut cujus rei causa debitæ advocatum habere non possit: male vero inventus pro qualitate culpæ secundum canonum normam emendari curetur.

CAP. XXXI. Si quis vero presbyterorum, vel reliquorum clericorum, de objecto crimine, vel commota civili causa, se relicto Ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, Carthaginenses canones capite nono decernunt, et ex eisdem canonibus Leo, et Romana synodus uniformiter decreverunt, ut de criminali causa, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, in civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit.

CAP. XXXII. De proprietatibus autem, quas aut ante ordinationem presbyteri habuerunt, vel post ordinationem quolibet modo acquisierunt. Carthaginenses canones capite trigesimo secundo constituunt, ut episcopi, presbyteri, et diaconi, vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordinantur, et tempore episcopatus vel clericatus sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis. obvenerit, faciant inde quod eorum proposito congruit. Quod si a suo proposito retrorsus exorbitaverint, honore ecclesiastico indigni tanquam reprobi judicentur. Sic et lege Justiniani, constitutione 427, capite 453 et capite 522 constitutum est. Et sanctus Gregorius in epistolis suis ex eisdem sacris canonibus et legibus promulgavit, atque constituit.

CAP. XXXIII. Sed quia negligentia, vel indebito favore ministrorum episcopaliū necessaria minus curante, et presbyterorum cupiditate, et lascivia in-

olescente, per parochias vitium solet excrescere, quod necesse est sollicitius resecare, videlicet, quidam presbyteri, de redditibus ecclesiæ, vel oblationibus ac votis fidelium, res post ordinationem suam comparant, et in illis estructuras faciunt, et quæ ad ecclesiam pertinent ibidem collocant, et in eisdem mansis mulieres recipiunt, quæ lanificium suum exerceant, et domus curam gerant. Et hac occasione suas ecclesias negligunt, et ad eosdem mansos recurrunt, et ibi commanent contra decreta canonum, fraudem facientes de facultatibus ecclesiasticis: quoniam hoc agere sacrilegum est, et par crimen Ananiæ et Saphyræ, atque Judæ furis, qui sacras oblationes, quæ ad usus fidelium ac pauperum mittebantur, asportabat et furabatur. Eisdem etiam mansos, non ecclesiis secundum sacros canones derelinquere, sed contra canones, vel propinquis suis, vel aliis quibuscunque solent distrahere, cum nullam proprietatem episcopus vel presbyter melius vel firmitus possit habere, quam quæ est ecclesiæ attributa, si secundum ordinem suum vivere voluerit. Si autem ordinem pro sua culpa perdiderit, nec alode, quem a die ordinationis suæ de ecclesiasticis facultatibus acquisivit, habere valebit, cui juxta decreta sancti Leonis ad pœnitentiam agendam secreta est exponenda secessio.

CAP. XXXIV. Unde necesse est ut per singulos annos ministri episcoporum inquirant, quid pareat in singulis ecclesiis de parte decimæ, quæ juxta sacros canones ecclesiæ competit. Sed et de matriculariis per singulas Ecclesias, juxta facultatem et possibilitatem loci, curam adhibeant, ne presbyteri pro locis matriculæ xenia accipiant, ne suos parentes sanos et robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matriculariis exigant: non de matriculariis bubulcos aut porcarios faciant, sed pauperes ac debiles, et de eadem villa, de qua decimam accipiunt, matricularios faciant. Si autem ipse presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima alendus sit, apostolica est sequenda sententia, qua dicit: *Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior (I Tim. v)*. Reliquos propinquos si juxta se habere voluerit, de sua portione sine dispendio ecclesiæ vestiatur atque pascatur. Nam aliud est sine dispendio ecclesiæ amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuslibet incestuosis ex charitate cum mensura et ratione subvenire, vel adjutorium ferre, et aliud cum destructione ecclesiæ, vel dissipatione facultatum ecclesiasticarum, quæ sunt ecclesiæ male dispendere. Providendum est etiam, ut de nihil habentibus promoti presbyteri, non præsumant quæ de facultatibus ecclesiæ comparaverunt vendere, vel quasi ad casam Dei tradere, nisi ad ecclesiam, cujus propriæ esse debent.